

qua lege quæ dirimendæ quæstioni inserviat, nullum dubium est judicem teneri ad supplendum defectum. Nam officium judicis est, verum et proprium jus facto applicare. Quod si omisa fuit aliqua circumstantia facti, quæ influere potest in qualitatem sententiæ; Abbas in *c. 16. de Test.* quem Glossa in *c. 3. de postul. prælat.* et auctores communiter sequuntur, docet, judicem posse et debere supplere, si quid fuerit deductum in iudicium et a partibus ignoretur, quia illud est sibi notum et notorium ut iudici. Ergo si omisa fuerit circumstantia facti, cujus existentia ab actis judicialibus deprehenditur, tenetur iudex ea uti in causæ decisione; eam enim cognoscit tanquam iudex, cujus officium est investigare et expendere acta judicialia. Si autem de circumstantia facti agatur ab actis iudicii prorsus aliena, iudex non tenetur in genere eam investigare, et supplere defectum patrocinii. Ipse enim procedit juxta allegata et probata in actis proprii tribunalis. Dixi autem in genere; nam si agatur de circumstantia aliqua *notoria*; cum notorium in iudiciis non probetur, sed solummodo allegetur, eo quia omnibus constare censetur; hinc iudex potest, et aliquando etiam tenetur, ea circumstantia uti, licet a partibus omisa fuerit *arg. l. 1. C. Qui et adversus quos in integr.* Idem dicendum, si periculum animæ occurrat, quemadmodum non semel in causis ecclesiasticis et præsertim in matrimonialibus verificatur. Sic ex officio iudex debet repellere excommunicatum vitandum. *C. 12. de Exception.* Quod si vero ex certa sed privata scientia iudex aliquam circumstantiam facti substantialem cognoscat, subintrat theoria superius proposita de conflictu inter privatam et juridicam scientiam iudicis. — Præterea iudex supplet ex officio partium negligentiam in favorem publicæ utilitatis, et in specie quando agitur de bono ecclesiarum. Supplere etiam potest eandem negligentiam, excludendo ex officio testes indignos. Consulere enim debet honori publici iudicii.

## TITULUS XXXIII.

## De Majoritate et Obedientia.

Titulis de variis generibus Ministrorum seu de variis gradibus Clericorum merito subnectitur titulus qui relationem explicat inter majores et minores ordines eorundem Clericorum.

## De Majoritate.

1. Majoritas exprimit excellentiam illam seu quamcumque præminentiam, quam unus habet præ alio cui supereminet, ex qua præeminentia enascitur relatio obedientiæ ex parte illius qui minor est.

2. Quæstio prima proponitur de modis quibus majoritas acquiritur. Varii sunt tituli. Primus titulus est ordo. Nam ipsa idea ordinis secumfert relationem majoris ad minorem, scilicet hierarchiam. Hinc Clericus in majori ordine constitutus præstat Clerico in ordine qui priori sit minor *c. 15. h. t.* Profecto hæc hierarchia majoritatem secumfert, non vero proprie dictam superioritatem, quæ ex jurisdictione enascitur. Nam fieri potest ut qui minor est in ordine, imperet Clerico majori ordine insignito. Exemplum nobis profert Archidiaconus jure decretalium, qui Clericis omnibus Dioceseos præerat.

2<sup>o</sup>. Ex jurisdictione etiam idest ex potestate titulus exurgit majoritatis. Qui enim majorem exercet jurisdictionem licet directe exigat subjectionem, ordinarie tamen jus habet etiam ad reverentiam, et ad priorem locum inter eos qui minori potiuntur jurisdictione. Sic Archiepiscopus est major Episcopo, et Archidiaconus Archipresbytero *c. 7. de Off. Archidiacon.*

3<sup>is</sup>. Titulus est consecratio, ob quam Episcopus consecratus præstat Episcopo nondum consecrato *c. 4. de Consuet.*

4<sup>o</sup>. Etiam tempus ordinationis aut immissionis in possessionem potest esse titulus majoritatis juxta illud principium 'Prior in tempore, potior in jure' *Reg. 54. jur. in 6.* Et infertur ex *c. 1. h. t.* Hæc majoritas seu præcedentia est in suffragio, in sede, in signando etc. nec non in optione præbendæ, ubi jus optionis conceditur. Hæc vero majoritas orta ex tempore intelligenda est ut verificetur cæteris paribus. Hinc non datur in diversitate ordinis aut dignitatis. Quare antiquior Episcopus non præcedet Archiepiscopo.

5<sup>is</sup>. Titulus est excellentia et prærogativa Ordinantis. Quare ordinatus a Pontifice ob honorem Sedis Apostolicæ aliis præstat qui sunt in eodem ordine constituti *c. 7. h. t. et c. 31. de Præbend. in 6.* Adnotandum vero est, aliquem non eximi a jurisdictione proprii Episcopi ex eo quod ordinatus fuerit a Summo Pontifice. Sola enim ordinatio non habet vim excommunicationis.



6<sup>us</sup>. Titulus majoritatis enascitur ex relatione propinquitatis juridicæ ad personas quæ majores in Ecclesia sunt. Hæc majoritas verificatur in cœtibus Canonorum, qui divino manciantur servitio. Siquidem in Dicecesi plura esse possunt Capitula, Capitulum tamen Ecclesiæ Cathedralis cætera Ecclesiarum collegialium Capitula et eorum Prælatos præcedit eo quod propius accedit Episcopo, et ejus senatum et consilium constituit. At hæc præcedentia competit Canonicis Cathedralis Ecclesiæ quando capitulariter procedunt vel quando Capitulum repræsentant, secus vero si Canonici Cathedralis Ecclesiæ uti singuli agant; ceu probant *Pignatelli tom. 3. Consult. XVIII. nn. 7. et seqq.* et Card. De Luca *De Præeminent. disc. 7. n. 5., disc. 21. n. 6. et disc. 22. n. 9.* Pariter Capitulum Ecclesiæ metropolitanæ præstat Capitulis Ecclesiarum Cathedralium. Archiepiscopus enim suffraganeis suis major censetur. Et Collegium Cardinalium, quod considerari potest tanquam Capitulum Romani Pontificis, superat majoritate omnia Capitula.

7<sup>o</sup>. Ex ordine etiam appellationis inter varias personas vel corpora moralia inferunt Doctores majoritatem procedere posse, si ordo hic procedat ab eo qui majoritatem possit concedere. Hinc Dominicanorum familia præferri solet familiæ Fratrum Minorum, quia a Rom. Pontificibus Dominicana familia prius nominatur quando utrique apostolicæ litteræ mittuntur *c. 1. de Decimis c. un. § fin. de Excess. Prælator. in 6.* Hac vero in re, quoniam facile possunt oriri quæstiones præcedentiæ, juvat referre quid tradit *Fagnan. Com. in c. 1. h. t. n. 22.* Cum orta esset quæstio inter Fratres Dominicanos, Franciscanos, Augustinianos et Carmelitas, qui omnes ad genus mendicantium referuntur, de præcedentiâ; s. C. Conc. obtentis informationibus, agnovit, in loco controversiæ inolevisse consuetudinem, ut ea Religio præcederet, quæ prius habuit monasterium in eodem loco. Hæc consuetudo approbata fuit, et Gregorius XIII. jussit eam servari. Immo ut normam generalem figeret, edidit Constit. die 15. Julii 1583. quæ incipit *Exposcit* in qua decrevit inter mendicantes præcedere illos debere in processionibus qui sunt in quasi-possessione præcedentiæ; quod si de hac non constet, illos præcedere qui antiquiores sunt in loco controversiæ. Non negamus vero potuisse immutari rem ex privilegio aliquo posteriori. Hinc orta quæstione, nisi de hoc privilegio constet, servanda est dispositio citata Sum. Pontificis Gregorii XIII.

3. Aliquid tandem dicendum remanet de majoritate quam declarat Innocentius III. in *c. 6. h. t.* Hoc caput ita sumatur 'Imperium non præest sacerdotio, sed subest, et ei obedire tenetur'. Innocentius conquestus fuerat cum Imp. Constantinopolitano eo quod juxta pedes suos ad sinistram sedentem haberet Patriarcham. Obijcanti vero Imperatori verba s. Petri 'subditi estote omni creaturæ propter Deum, Principi tanquam præcellenti', respondit Innocentius, textum Petri sumendum esse de rebus temporalibus, non vero de spiritualibus, in quibus imperant sacerdotes. Quoniam vero spiritualia temporalibus magis præstant; hinc potestas ecclesiastica dignior est laica potestate. Quare etiam Princeps parere tenetur in spiritualibus auctoritati Ecclesiæ, cui subjicitur. Ex quo capite infertur principium, quod nempe potestas ecclesiastica majoritatem habeat præ laica potestate. Ut hæc majoritas evitaretur non defuerunt qui sistema separationis omnimodæ invenerunt inter binas hasce potestates. Verum cum utraque potestas idem individuum respiciat, licet sub diverso respectu, cum finis unius sit subordinatus fini alterius; bonum enim temporale bono æternæ vitæ debet viam sternere; hinc consociatio et fœdus inter hasce potestates necessarium est, dissociatio vero et separatio admitti nequit ut prospere in sua actione procedant. Quare sistema separationis omnimodæ admitti non potest; sed admitti debet fœdus, quo binæ potestates simul sociatæ unaquæque in sphæra propriæ activitatis bonum verum et reale, temporale scilicet et æternum, populos assequi posse nitantur.

4. Attamen una potestas non poterit alterius provinciam ingredi, et occupare potestatis jura. Utraque enim in ordine suo suprema potestas est, et ecclesiastica et civilis. Quare Ecclesia renuentibus Principibus non potest causas civiles ad suum tribunal pertrahere, nec leges ferre potest quæ civilis sint ordinationis.

5. In quo ergo Ecclesia est major potestate civili, ita ut hæc reverentiam Ecclesiæ exhibere teneatur? In duobus præsertim: in fine et in mediis. 1<sup>o</sup>. Societatis civilis finis est bonum temporale civium, Ecclesiæ vero est bonum æternum. Ut ergo fœdus consistat, ratio ordinis servanda est, auctoritas nempe civilis tenetur subordinare finem suum seu bonum publicum bono æterno fidelium. Videlicet non audeat Princeps incrementa et utilitates civium promovere, ex quibus salus æterna fidelium detrimentum capiat. 2<sup>o</sup>. Media quibus auctoritas civilis utitur non possunt esse



arbitraria, sed conformia esse debent principiis honestatis et justitiæ, idest veri bonique. At veritas et bonitas etiam in concreto idest in legibus et normis consideratæ constituunt objectum magisterii divini, quod Christus commisit Ecclesiæ, cum dixit: docete omnes gentes... docentes eas servare omnia quæcumque mandavi vobis. Quare cum Ecclesia sit magistra infallibilis et custos legitima veritatis et bonitatis in doctrina nempe fidei et in regulis morum, jure meritoque redarguit leges injustas vel impias, quæ ab auctoritate civili emittantur. Qua in re non egreditur limites suæ potestatis, et Principes obsequi tenentur Ecclesiæ judicio. Hæc generice de relatione majoritatis inter potestatem ecclesiasticam et laicam innuisse sat est. Nam tractatio hujus materiæ ad Juris publici expositores pertinet. In specie vero dicendum est Principem in spiritualibus subesse debere Episcopo suo *arg. cit. c. 6.* et expresse in *c. 4. h. t.* Ordinarius vero Principis est Episcopus qui residet in sede Principis. Fatendum vero est Principes pluribus exemptionibus gaudere, quæ præ oculis haberi debent.

#### De Obedientia.

6. Obedientia in titulo exprimit quamcumque reverentiam quam inferior in dignitate digniori exhibere tenetur. Hinc non solum complectitur subjectionem et susceptionem mandatorum legitimi superioris sed etiam quamcumque observantiam et quemcumque honorem qui personis jure excellentioribus præstatur. Quare alia proprie dicta obedientia, alia est improprie dicta. Quoad obedientiam improprie dictam, idest quoad debitam reverentiam et honorem debitum dignioribus, animadvertimus, eam præstandam esse ab inferioribus gradu seu dignitate in casibus, in quibus, uti vidimus supra, majoritas pro aliquibus personis verificatur. Qui vero magis evolutam tractationem de hac re desiderat, adeat Institut. Canonicas Remigii Maschat *h. t. n. 3.* vel etiam Girald Jus Pontif. in appendicem ad *h. t.* idest sect. 201.

7. De Obedientia proprie dicta sermo est 1º. in Extrav. Com. *h. t. cc. 1. 2. et 3.* ubi statuitur, fideles omnes obedire debere Rom. Pontifici. Ut autem hujus obedientiæ obligatio melius innotesceret et observaretur, usque ad sæc. VI. mos invaluit, ut Episcopi juramentum fidelitatis præstarent. Deinde lex et forma statuta est in *c. 4. de Jurejurando.* Et tandem forma invariabiliter definita est a Clemente VIII. et refertur in Pontificali Romano in titulo

de Consecratione Episcopi. — 2º. In *c. 2. h. t.* ubi agitur de Obedientia quam fideles omnes in Diocesi Episcopo exhibere debent. Et quidem ut Clerici majori vinculo subjectionis erga Episcopum devincirentur, inductum est ut presbyteri in ipsa ordinatione Ordinario suo pro tempore reverentiam et obedientiam promitterent. — 3º. Suffraganei et eorum subditi in casibus a jure statutis obedientiam præstant Metropolitano *c. 11. de Off. Jud. Ord.*

Hanc obedientiam etiam exhibent Religiosi propriis superioribus Regularibus *c. 10. h. t.* Quæ porro obedientia seu subjectio præstanda est non solum in foro interno, sed etiam in foro externo. Superiores enim Regulares jurisdictione gaudent in suis religiosis familiis.

8. Porro contra eos qui denegant obedientiam Episcopi mandatis, infligi potest ab Episcopo pœna excommunicationis *c. 2. h. t.* Item contra Regulares inobedientes possunt Piores et Abbates sententiam excommunicationis pronunciare *c. 10. h. t.* In utroque vero casu requiritur contumacia Can. *Nemo Episcoporum. c. 11. q. 3.*

9. Quibus positis explicandum est *c. 12. h. t.* quod de Obedientia agit erga Abbatissas. Sciendum est, Abbatissas et Priorissas non habere veram et proprie dictam jurisdictionem ecclesiasticam, quæ nempe ex potestate clavium derivat, posse autem habere directionem in monasterio suo præcipue quoad moniales, eisque vera præcepta imponere, quibus moniales parere in conscientia tenentur. Insuper directionem habent quoad alias personas monasterio subjectas, et immo quoad ipsos Clericos addictos servitio divino in Ecclesia monasterii. Ex qua directione Abbatissæ possunt utique eos monere et corrigere, nec non eosdem Clericos etiam suspendere a beneficiis subtrahendo fructus beneficiorum. Quare Abbatissæ et Priorissæ quandam speciem habent jurisdictionis. Quid vero si Abbatissæ vel Priorissæ jussa despiciantur a monialibus aut ab aliis personis aut ab ipsis Clericis? Ipsa quidem proprie dictas censuras ferre non potest, eo quod censuras infligendi facultas ad claves Ecclesiæ pertinet, quarum potestas aliena est a fœminis *c. 10. de Pœn. et Rem. pecc.* Potest vero Abbatissa implorare officium superioris regularis sui ordinis, qui per censuras ecclesiasticas coerceat contumaces inobedientes. Verum animadvertit Gonzales in Comm. ad idem *c. 12. n. 8.* Abbatissam Burgensem de las Guelgas in Hispania potuisse constituere beneficiarios et approbare confessarios per medium presbyteri a se depu-



tati. Sed quod magis est, Bizzari in sua Collectanea pag. 322. refert resolutionem *S. C. EE. et RR.* diei 22. Junii 1708, et 19. Julii 1709. ex qua infertur aliquando Abbatissam monasterii s. Benedicti Conversani in Provincia Barensi per Vicarium a se deputatum jurisdictionem exercere potuisse; qui Vicarius approbabat sacerdotes ad Confessiones recipiendas nec non Clericum a Capitulo presentatum ad curam animarum exercendam. Quare ex hisce deducitur, Abbatissam ex privilegio apostolico habere posse jurisdictionem spiritualem, quam tamen non per se ipsam, sed per Vicarium Clericum exercere debet. Porro idem Card. Bizzari in eod. loc. adnotat, Abbatissæ Conversani fuisse dein sublatam anti-quam jurisdictionem.

10. De modis quibus cessat majoritas et relativa obedientia. 1<sup>o</sup>. Quisque videt, majoritatem amitti eo ipso quo quis privilegium aut dignitatem amiserit, sive ob spontaneam renunciationem acceptatam a superiore, sive ob privationem legitime factam. Manente vero privilegio et dignitate, qui obsequium vel subjectionem exhibere tenetur, directe ab utroque vel alterutro præstando sese eximere non potest. Auctoritatem enim vel dignitatem contemneret. Potest vero indirecte sese eximere ab obsequio præstando, subtrahendo nempe vel occasionem vel materiam obsequii aut subjectionis, si id fieri jure possit.

2<sup>o</sup>. Amittitur majoritas quoad aliquam Ecclesiam vel personam, si Ecclesia vel persona constituatur vel in æquali vel in majori auctoritate aut dignitate. Exemplum hujus principii traditur in *c. 16. h. t.* In eo enim traditur Ecclesiam vel ejus præpositum eximi ab auctoritate Archidiaconi, cui subiciebatur, eo ipso quod erecta fuerit in Cathedralem Ecclesiam.

11. 3<sup>us</sup>. Casus describitur in *c. 8. h. t.* in quo species est de Ecclesiis insulæ Cypri, subjectis ante schisma Patriarchatu Constantinopolitano, quæ tempore schismatis Romanæ Sedi unitæ permanserunt. Restituto Patriarchatu ab Innoc. III. Patriarcha postulavit ab eodem Innoc. ut illico revocaret et subjiceret illas Ecclesias Patriarchatu. Rom. Pontifex ait, se id perficere nolle inauditis partibus; paratum vero se esse ad assentiendum Patriarchæ, quoties ipse in judicio postularet restitutionem Ecclesiarum, et justitia restitutionem exigeret. Ex qua responsione hoc principium deducitur, amissa majoritate per hæresim, schisma vel aliud crimen, recuperari non potest per modum facti, aut invocata auctori-

tate superioris inauditis interesse habentibus; sed recuperari potest intentato judicio in petitorio, idest super bono jure restitutionis, citatis partibus. Verum in judicio hujusmodi restitutio per judicem erit concedenda, quoties status Ecclesiarum non fuerit in substantialibus immutatus sub respectu jurisdictionis et præeminentiæ, non vero si hæc verificentur, ex. gr. si in novam provinciam coahuerint. Quod innuit Innocentius cum dixit 'juris namque ratio postulat, ut in eorum præjudicium, quibus eadem Ecclesiæ subjectæ sunt nihil ordinemus'.

## TITULUS XXXIV.

## De Treuga et Pace.

1. Expleto tractatu de Prælatiis et de judiciis ecclesiasticis B. Raymundus, antequam de judiciis in Libro II. loqui aggrediatur, quosdam titulos præmittit, qui vel respiciunt aliquas personas quæ locum habent in judiciis, vel respiciunt remedia quibus litigantium pericula aut præveniuntur aut mitigantur. Horum in censu recensendæ sunt treuga et pax; pax quæ extinguit quæstiones, treuga quæ imminuit effectus inceptæ quæstionis aut belli effervescentis.

2. Treuga, quæ etiam induciæ aut armistitium dicitur, est 'securitas et fides præstita rebus et personis ad tempus, quamvis discordia non sit penitus finita'. Pax vero definitur 'plena discordiarum exortarum sedatio'.

3. Treuga alia est conventionalis, alia canonica, prout vel a libera pactone spondetur, vel statuitur et imponitur ab ecclesiastica lege. Prior nempe conventionalis est juris gentium quemadmodum etiam innuitur in *c. 9. dist. 1.* Ei autem adsistit etiam jus Ecclesiasticum si fuerit juramento firmata. Ecclesia enim licet de civilibus quæstionibus non judicet, tamen judicare potest de quæstione religiosa, utrum nempe aliquis sit perjurius vel non. Hinc cum rex Angliæ conquereretur cum Innoc. III. de agendi ratione regis Gallorum qui pacem jurejurando firmatam fregerat, Innocentius redarguit regem Galliarum sibi reservans facultatem judicandi de peccato, idest de violatione juramenti. Ita in *c. 13. de Judiciis.* Quod jus Rom. Pontificis præsertim vigeat media ætate, cum Principes juramentum emittebant quo spondebant se fore defensores Ecclesiæ et cujuscumque ordinis. Ecclesia recipiebat hoc juramentum, cujus erat interpret et custos; et simul



legibus suis promovebat obedientiam erga Principes, qui suis satisfaciebant obligationibus. Ecclesia vero protegens treugas conventionales juramento munitas mitigabat ardorem bellorum quæ media ætate frequentissima erant inter principes et inter respublikas.

4. Quem finem studuit Ecclesia præcipue obtinere statuens in Conc. Lateran. III. ut certis temporibus, nempe a feria IV. post occasum solis, usque ad feriam II. in ortu solis, ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad Octavam Paschæ ob mysticas significationes et ob sacrum tempus servarentur induciæ et arma silerent, ita ut qui contra canonem auderent bella suscipere, in maledictum Ecclesiæ post trinam admonitionem inciderent *c. 1. h. t.* Istæ induciæ appellatæ sunt *treugæ Domini*, et constitutæ fuerunt contra bella privata quæ a legibus nec probabantur, nec condemnabantur; non autem contra bella justa, auctoritate publica suscepta. Ita *Gonzalez ad c. 1. h. t. n. 9. et 18. et alii.* Statuit insuper Ecclesia *c. 2. h. t.* ut tempore belli Clerici, Religiosi, peregrini, mercatores, rustici addicti agriculturæ et animalia quoque servitio agrorum occupata plena immunitate et securitate gauderent. Verum hæc historice dicta sint, contraria enim consuetudine factum est ut hæc canonica dispositio suo robore careret.

#### TITULUS XXXV.

#### D e P a c t i s .

1. Aliquid dicendum de notione pactorum ex jure civili deprompta. Leges civiles ex innumeris conventionibus, quæ inter homines perfici possunt, quasdam easque usitatiores elegerunt, quibus civilem obligationem adnectere voluere. Id autem non importat, cæteras conventiones a jure civili fuisse rejectas, sed solummodo eis non fuisse concessam actionem civilem ita ut regi deberent sola paciscentium fide. Conditores enim legum Romanarum quædam civium probitati relinquere voluerunt potius quam omnia vinculis et necessitate legum complecti. Conventiones quæ obligationem civilem pariunt appellantur *Contractus*, reliquæ vero conventiones quæ hac obligatione destitutæ sunt, nomen generis retinuerunt et pacta dicta sunt. Pactum ergo juxta Ulpianum *L. 1. § 2. ff. De Pactis* est 'duorum vel plurium in idem (seu in eandem rem) placitum et consensus'.

2. Porro contractus ideo civiliter obligant, quia leges civiles in ipsis agnoscunt causam obligationis, quæ vel est in consensu, et contractus dicuntur *consensuales*, vel in re, et *reales*, vel in verbis solemnibus, et *verborum obligationes* dicuntur, vel in literis, et *literales* appellantur. Inter hosce contractus nonnulli, cum primum inducerentur, proprium nomen sortiti sunt, alii vero minime. Quare alii dicti sunt *contractus nominati*, alii vero *innominati*. Nominati qui et nomen et causam habent obligationis, innominati qui causam tantum habent. Causa hæc in contractibus innominatis est datio vel factum a lege probatum et habitum uti capax producendæ obligationis. Obligacioni civili respondet *actio*, idest jus alicui competens persequendi in judicio, quod sibi debetur. Ergo contractus actionem civilem pariunt. Igitur Jure Romano pacta, quæ in genere conventionum permanserunt, nec obligationem civilem nec actionem producebant; destituebantur enim et nomine et causa *L. Juris gentium § Sed cum nulla ff. h. t.* Verum pacta admissa sunt ut producerent exceptionem *L. 1. ff. h. t.* Is ex. gr. qui per pactum convenit super aliqua re, si deinde actionem intentet contra fidem datam, potest exceptione pacti repelli. Immo pactis adjectis contractibus, quæ dicta sunt *non nuda*, concessa est actio ipsi contractui propria. Ex. gr. si contractui emptionis et venditionis adjiciatur pactum de pretio solvendo in aliqua designata civitate, executio hujus pacti peti potest a venditore mediante actione empti venditi. Insuper quædam pacta specialia a lege agnita sunt, et *legitima* appellata fuere, quæ actionem ex lege illa approbante producant. Cætera vero pacta, quæ *nuda* dicuntur, et sunt meræ conventiones, actionem ex legibus romanis non gignunt.

3. Sed quæritur utrum ex lege canonica omnia pacta veram et publicam obligationem habeant, ita ut detur actio ad coercendum illum qui datam fidem violare nititur. Et quidem *c. 3. h. t.* judex studiose debet agere ut ea quæ promittuntur, opere compleantur. At clarius in *c. 1. h. t.* dicitur ut pacta custodiantur, idest jus canonicum pacta adprobat et vult ea servari. Verba illa autem *c. 1. h. t.* 'aut conventus ecclesiasticam sentiat disciplinam' exprimunt, conventionem quamcumque etiam in foro externo Ecclesiæ juridicum valorem obtinere, et per consequens ex pacto coram judice licet proponere querelam et actionem ad adigendam contrariam partem ad fidem datam servandam. Ratio est quia jus canonicum potius quam formulam respicit rei veritatem et juris naturæ exigentiam.